

SIGHT RECITATION --- ADVANCED (Poetry)

TSJCL AREA F

March 7, 1992

Nox erat, et placidum carpēbant fessa sopōrem
corpora per terrās, silvaeque et saeva quiērant
aequora, cum mediō volvuntur sīdera lāpsū,
cum tacet omnis ager, pecudēs pictaeque volucrēs,
quaeque lacūs lātē liquidōs quaeque aspera dūmīs
rūra tenent, somnō positae sub nocte silentī.
Lēnībant cūrās et corda oblīta labōrum.
At nōn infēlix animī Phoenissa nec umquam
solvitur in somnōs oculīsve aut pectore noctem
accipit; ingeminant cūrae, rūrsusque resurgēns
saevit amor, magnōque irārum flūctuat aestū.
Sic adeō insistit, sēcumque ita corde volūtāt:
“Ēn quid agō? Rūrsusne procōs inrīsa priōrēs
experiar, Nomadumque petam cōnūbia supplex,
quōs ego sim totiēns iam dēdignāta marītōs?